


R. P. D.

ELEPHANTUTIO

Cracouien. Decimarum.

Lunæ 29. Novembris 1751.

1 Quamquàm Patres Ven. Conventus Ordinis Prædicatorum Cracoviæ de Bonis Villæ *Podolsze*, quam possident in Ducatu Zathoriensi Decimam de omni *Grano*, *&* *Semine*, quam vocant *Manipularem*, ab antiquissimo tempore præstare consueverint soli Scholastico Ecclesiæ Ca-

thedralis Cracovienſis, cui ex titulo legitimo debetur; Vix attamen de Eccleſia Parochiali Zathorienſi proviſus Ioannes *Skinderovicz* prætenſionem excitavit eamdem Decimam exigendi, Decretumque petitioni conforme retulit in Curia Epiſcopali Cracovienſi: Verumtamen delata Cauſa in gradu appellationis *ad A. C.*, hic maturiori aſſumpto examine controverſiæ, prævia revocatione præcedentis Decreti, definitivè pronunciavit, nullum eidem Parocho competere Jus exigendi controverſam Decimam, quod deinde Judicatum meruit confirmari per Sententiam Rotalem, duabus præcedentibus Deciſionibus *dierum* 10. *Iunii* 1748., & 21. *Aprilis* 1749. *à R. P. D. meo Buſſio* promulgatam.

2 Duobus tamen hiſce Judicatis non acquieſcens Parochus Zathorienſis, novam ulterioris appellationis Commiſſionem obtinuit, ac Mihi dirigi curavit, in cujus ſequelam, dato hoc mane Dubio = *An Sententia Rotalis ſit confirmanda, vel infirmanda?* = *pro illius confirmatione Domini* reſpondere non hæſitarunt.

3 Juſtè ſiquidem definitum fuit, Decimam hanc Manipularem eidem Parocho Zathorienſi non deberi ex Bonis Villæ *Podolſze*, nàm Juris diſpoſitio, quæ circà Decimarum competentiam Parocho adſiſtit, ut ex *Text. in Canon. Decimæ* 16. *quæſt. prima Canon. quicunque*, & *Canon. Omnes quæſt.* 7. *cap. ex multiplici*, & *cap. pervenit de Decimis*, nullo modo ei favere poterat in caſu, in quo conſtat, alium ſuper Bonis dictæ Villæ adeſſe Decimatorem, nempè Scholaſticum Eccleſiæ Cracovienſis, qui dictam Decimam Manipularem exigit, ſemperque exigere conſuevit; Alio enim exiſtente Decimatore, Juris diſpoſitio non modò non aſſiſtit, ſed reſiſtit intentioni Parochi, eamdem Decimam exigere volentis, cùm onus duplicis Decimæ ſuper eadem re imponi prohibeatur per *Text. in cap.* 2. & *ibi Canoniſtæ de Decim. Abb. in cap. cum ſint num.* 6. *ante fin. verſ. Aliàs ſequeretur eod. tit.*, *Sot. de Iuſt.*, & *Iur. lib.* 9. *quæſt.* 4. *artic.* 2. *in fin.*, *Rota coram Buratt. deciſ.* 575. *num. primo*, *coram. Bich. deciſ.* 48. *num.* 25., *coram Ubag. deciſ.* 25. *num.* 9., *in recent. deciſ.* 672. *num. primo*, & *ſeqq. part. prima*, *deciſ.* 458. *num.* 15., & *pluribus ſeqq. par.* 5., & *deciſ* 230. *num.* 11. *par.* 17. cum aliis allegatis *in prima Deciſione R. P. D. mei Buſſii* §. 2., & *in ſecunda* § 5.

4 Quòd hæc Decima Manipularis pro Bonis Villæ *Podolſze* exigatur, atque ab antiquiſſimo tempore exigi conſueverit à ſolo Scholaſtico Cathedralis Eccleſiæ Cracovienſis, nunquàm verò à Parocho Zathorienſi, cui titulo Decimæ pro dictis Bonis quædam ſolummodò præſtantur *Menſuræ Siliginis*, & *Avenæ*, vix poterat in controverſiam revocari, cum huiuſmodi vetuſtiſſima conſuetudo luculentèr probetur, tùm ex Libro Beneficiorum Diæceſis Cracovienſis jam indè ab anno 1440. con-

conscripto; tùm ex Actis Pastoralis Visitationis anni 1598., tùm denique ex Testibus hinc indè examinatis, uno ore affirmantibus, Decimam hanc Manipularem semper consuevisse præstari eidem Scholastico, & nunquàm à Parocho Zathoriensi fuisse perceptam; Quod si antiquissima hujusmodi Consuetudo, per quam certus constitutus est modus solutioni Decimarum, servanda, ac custodienda venit, per *Gloss. in cap. cum sint verb. Consuetudinem de Decim.*, *& in cap. primo de præscript. in 6.*, *Monet. de Decim. cap. 5. quæst. 4. num. 95.*, *Cardin. de Luc. eod. tractat. disc. 10. num. 5.*, *Rot. in Farfen. Decimarum 10. Maii* 1743. §. 4. *coram Eminentissimo Domino Cardin. Millino*, *in Triventina Decimarum 29. Martii*, *& 2. Iulii* 1745. utrobique §. 2. *coram Eodem*, *& 2. Martii* 1746. §. 4. *coram Me*, *& 6. Maii* 1747. §. 2. *coram R. P. D. Canilliac*.

5 Eò utique magis retinenda erat in casu, in quo res agitur cum Regularibus Regni Poloniæ, veluti qui ex peculiari Decreto *Sac. Congregationis Concilii* edito anno 1645., & successivè sub annum 1646. confirmato per Literas in forma Brevis *San. Memor. Innocentii X.*, eas tantùm pro Bonis à Laicis acquisitis Decimas præstare tenentur, quas ante acquisitionem à Laicis ipsis exactas esse constiterit; Decet enim Decretum hoc vim legis obtinere, atque inviolabiliter servare, ut in puncto monet *Rota in recent. decis. 9. num. 1.*, *& decis.* 303. *num. 6. & 7. part. 11.*, & in alia *Cracovien. Decimarum super bono jure 26. Iunii* 1747. §. 3. *coram Clemente*; & firmat *utraque Decisio* præcedentis Instantiæ *prima* nimirùm §. 4., *& secunda* §. 2. *coram R. P. D. meo Bussio*.

6 Frustrà denuò proponitur, quòd in Villa *Podolsze* duplicis speciei existant Agri, *Cmetonales*, scilicet, quos Coloni pro semetipsis arant, & serunt, & *Prædiales*, qui pro Dominis coluntur; Ita quidem, ut de Agris primæ speciei Decima Manipularis pendatur Scholastico, nemini verò de Agris secundæ speciei. Proptereàque fundata sit intentio Parochi Zathoriensis pro hisce Agris Prædialibus eamdem exigendi Decimam, ex quo cesset inconveniens duplicatæ illius præstationis.

7 Distinctio quandoquidem hæc inter *Prædiales*, ac *Cmetonales* Agros ad effectum pensitandi Decimam, nullo legitimo innititur Facti præsidio. Testes enim adducti, tamquam extrajudiciales, ac lite pendente in hoc Sacro Auditorio conquisiti, nullam probationem constituunt ex notissimis, de quibus *Rota decis.* 244. *num.* 31. *part.* 10., *& dec.* 325. *n.* 15. *part.* 9. *tom.* 2., *& decis.* 147. *num.* 19. *part.* 10., *& decis.* 219. *num.* 9. *part.* 11. *recent.*. Eademque ratione non merentur attendi Acta novissimæ Visitationis anni 1748., &

 sic

ſic poſt jam latam Sententiam A, C. , editamqæ favore Patrum Ven. Conventus primam Deciſionem Rotalem ; Minuſque recentiores atteſtationes Reverendiſſimi Suffraganei , ac Scholaſtici Cracovien. , veluti quæ & ipſæ extrajudiciales ſunt , ac lite pendente in hac quarta Inſtantia prodierunt ; Hoc ampliùs animadverſo , quòd atteſtatio Suffraganei plura Facti continet æquivoca in gratiam Parochi Zathorienſis , cujus favore Curia Epiſcopalis Judicatum protulerat . Unde tamquàm affectata , ac veriſimiliter emiſſa ad ſubſtinendam ſuæ Curiæ Sententiam , eò minus fidem in Judicio promeretur , ut aliàs reſpondit *Rota coram Bich. deciſ.*645. *num.* 19. , *& ſeqq.* , *& coram Falconer. deciſ.* 14. *num.* 13. *tit. de Reſcrip.* , *& deciſ.* 2. *num.* 4. *tit. de Sponſalib.* , *& in Sagonen. Plebaniæ* 10. *Decembris* 1706. §. *Quin attendenda cor. Omanna* , *& in Monaſterien. Vicariæ* 20. *Iunii* 1721. §. *Talem cor. bo. me. Cerro* .

8 Maximè verò , quia contrà hujuſmodi atteſtationes valida urgent Documenta à Patribus Dominicanis producta , & ſignantèr vetuſtiſſimus Liber Beneficiorum referens , in Ducatu Zathorienſi exiſtere *Laneos* , hoc eſt *Agros Civiles* , de quibus Decima Manipularis ſolvitur Scholaſtico Cracovienſi; Procùl igitur à vero eſt , quòd Decima , quæ ipſi ſolvitur , de Agris dumtaxàt *Cmetonalibus* , ſeù Villicorum præſtetur ; Nequè verò dubitandum eſt , quin adeò antiquum , ac publicum monumentum informibus , atquè extrajudicialibus atteſtationibus prævalere debeat , ad *Text. in leg. Cenſus ff. de probat.* , *Rota coram Seraph. in deciſ.*379. *num.*7. , *in recen. deciſ.*266. *num.*18. *part.*5. , *& deciſ.*554. *num.*8. *part.*18. *tom.* 2.

9 Verumtamèn quidquid ſit de aſſerta Agrorum diſtinctione , & an ſolummodò de *Cmetonalibus* Decima controverſa à Scholaſtico exigatur ; Certum id unum erat pro Bonis Villæ *Podolſze* à Patribus Ordinis Prædicatorum poſſeſſis Decimam ipſam Manipularem ſemper Scholaſtico fuiſſe ſolutam , nunquàm verò Parocho Zathorienſi , cui e contrà in cauſam Decimæ quolibet anno præſtari conſueverunt 18. Menſuræ Siliginis , totidemque Avenæ : Hoc etenim poſito , nullum profectò jus eſt Paroco percipiendi ex dictis Prædiis etiam diverſam Decimam ei hactenùs non ſolutam , & ſic recedere ab antiqua Conſuetudine , quæ cum verſetur circa modum , ac ſpeciem Decimæ præſtandæ , omninò rationabilis eſt , ideoque ſervanda ex auctoritatibus adductis in *ſuperiori* §.4. , & conſiderat *utraque Deciſio* præcedentis Inſtantiæ , *prima* nimirùm §.4. , & *ſecunda* §.7.

10 Hinc perperàm excipiebat Parochus , quod Teſtes , ac Documenta à Patribus Dominicanis producta nequaquàm concludant immemorabilem Conſuetudinem non ſolvendi Decimam controverſam , quemadmodùm contrà ipſum habentem pro

ſe Juris adſiſtentiam onus eſſet præfatorum Patrum demonſtrandi.

11 Animadvertebant ſiquidem *Domini*, hìc non agi de ſubſtinenda omnimoda exemptione à ſolutione Decimarum, ſed de cuſtodiendo modo illarum ſolutionis, ut videlicèt Decima Manipularis in poſterùm, prout anteà, ſoli Scholaſtico reddatur, minimè verò Parocho, præterquàm in certis Menſuris Siliginis, ac Avenæ, quo ſanè caſu Juris adſiſtentia nedùm non favet, ſed potiùs illius intentioni refragatur, *ut ſupra probatum fuit* § 3.; Urgente potiſſimùm favore Patrum Dominicanorum dicto Decreto *Sac. Congregationis Concilii*, cujus vigore Regulares Regni Poloniæ nil ùltrà titulo Decimæ prò Bonis à Laicis acquiſitis præſtare coguntur, quàm quod ab ipſiſmet Laicis præſtitum fuiſſe probetur; Undè eò magis onus eſt, non jam præfatorum Patrum, ſed ipſius Parochi petentis Decimam Manipularem, nunquàm anteà ab illius Deceſſoribus exactam, probandi, quod illa exigi conſueverit à Laicis, anteqnàm Bona demigrarent in Regulares, ut admonet *Rota in rec. dicta deciſ.* 303. *num.* 6., *&* 7. *part.* 13., ac probant *Deciſiones* editæ in ſimilibus Cauſis Decimarum inter Parochos, & Regulares ejuſdem Regni Poloniæ, ut *coram Bich. dec.* 205. *n.* 4., *& in Cracovien. Decimarum* 22. *Februarii* 1712. §. *Præcipuè*, *&* §. *Prætereà cor. cl. me. Card. Scotto*, *& in confirmatoria* 10. *Februarii* 1716. §. *Juſtitia verò cor. cl. me. Card. Althann.*

12 Tantum porrò abeſt, ut conſuetudo affirmativa ſolutionis hujuſmodi à Parocho probetur, ut immò per contrarium negativa ex parte Patrum Dominicanorum, quatenùs ab ipſis probanda foret pleniſſimè convincatur, tum per ſæpedictum antiquiſſimum Librum Beneficiorum Diœceſis Cracovien., in quo controverſa Decima Manipularis pro Bonis Ducatus Zathorienſis ſoli adſcribitur Scholaſtico, non autem Parocho; Tum per acta Viſitationis anni 1598., quæ inter cæteros redditus Parochialis Zathorienſis recenſent Decimam in 18. menſuris Siliginis, & Avenæ, non item alteram Decimam Manipularem *ex omni grano*, *& Semine* hodie à Parocho prætenſam; Tùm denique per Teſtes non modò à Patribus inductos, quorum tres, nimirùm *Secundus*, *Tertius*, *& Octavus*, procùl dubio legitimam ætatem excedunt, aliaque ſervant requiſita, ad probationem Immemorabilis neceſſaria; Verùm etiam per alios Teſtes ad inſtantiam ipſius Parochi examinatos, in eo & ipſi convenientes, quod controverſa Decima prò Bonis Villæ *Podolze* nunquàm fuit à Parocho percepta; Hæc autem Documenta, & ſi forſan ſingulariter conſiderata aliquam pati poſſent exceptionem, coniunctìm tamen accepta numeros implent perfectæ immemorabilis probationis, ut in puncto reſpondit *Rota dec.* 82., *& dec.* 83. utrobique *n.* 12. *par.* 11., *& dec.* 649. *n.* 2., *& ſeq. par.* 18. *tom.* 2., *& in dicta*

Tri-

Triventina Decimarum 29. *Martii* 1745. §.4. *coram Eminentissimo Domino Cardinali Millino*, & notat *prima Causæ Decisio* §.4. *coram R.P.D. meo Bussio*.

13 Cæterùm verò Immemorabilis Consuetudo, quæ ex firmatis non deest, haud necessaria videtur in casu, in quo, ut suprà animadversum fuit, quæstio non est de ipsa præscribenda substantia Decimæ Parocho competentis, sed de modo illius solutionis in certa specie, aut quantitate, pro quo effectu sola *quadraginta annorum*, immò etiam minoris temporis observantia exuberat, ut uno ore firmant *Monet. de Decim. cap.*5. *quæst.*11. *num.*101., *Marchesan. de Commiss. appellat. in Caus. Decim.* §.1. *num.*117., *& seqq. part.*1. *pag.*671., *Rota in Sabinen. Decimarum apud eundem Marchesan. dict. part.*1 *pag.*671., *decis.*603. *num.*4. *part.*4. *Diversor.*, *coram Cavaler. decis.*73 *num.*7., *& in Rec. dec.*407. *num.*10., *&* 11. *part.*18., aliisque relatis probat *secunda Decisio præcedentis Instantiæ* §. *Finali*.

14 Neque tandem audiri meruit exceptio, quòd mensuræ Siliginis, & Avenæ, non jam pro Decima præstentur, sed prò antiqua unius dumtaxat Agri Zathoriensis oppignoratione; Fides namque Testium adductæ in comprobationem istius assumpti omninò despiciendæ sunt, nedùm quià extrajudiciales, ac pendente lite expiscatæ; Verùm insuper, quia adversantur Testimonio tot aliorum Testium uno ore deponentium, dictas Avenæ, & Siliginis Mensuras genericè, atque indistinctè præstari ex Agris à Civibus emptis, atque possessis, qui equidem Testes, tamquam numero præstantiores, causamque scientiæ reddentes, atque cohærentèr ad antiqua Documenta affirmantes, procul dubio præponendi erunt antedictis Testibus numero minoribus, aliasque exceptiones patientibus, ad sæpè notata per *Rotam coram Ludovis. decis.*230. *num.*60., *& sequen.*, *in Recen. dec.*2. *n.*6., *&* 7. *par.*15., *dec.*296. *n.*13., *& dec.*415. *num.*13. *par.*16., *dec.*298. *num.*15. *par.*17., *& dec.*333 *n.*9 *par.*19. *tom.*1.

15 Haud relevantibus judicialibus actis gestis anno 1621. inter Parochum Zathoriensem, & Marchiones de Miroù: Ultrà quòd enim non sunt integra, neque omnia in uno eodemque Judicio prodierunt: Urget insuper, quòd nec præseferre videntur prætensam solutionem dd. Mensurarum Siliginis, & Avenæ pro uno tantùm Prædio, sicuti Parochus contendit.

Et ita, habita in cæteris relatione *ad Decisiones* præcedentis Instantiæ, utraque Parte Informante, responsum fuit.

Romæ, Typis Rev. Cam. Apost. 1753.

Superiorum Permissu.

Druki sejmikowe
dotyczące dziejów
różnych województw polskich

20.000